



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum Christianarum Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. IV. De Tatthaeo misso ad Edessam, & de epistolis mißis ab Abgaro  
Rege aed Christum, & à Christo ad Regem Abgarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

*pheo*, de qua natus est *Iacobus minor*, qui & *Iustus* dicitur, frater Domini, & *Ioseph* alius. Mortuo itaque *Cleopha*, *Anna* tertio marito nupsit, scilicet *Salome*, & habuit de eo tertiam, de qua, desponsata *Zebedæo*, nati sunt *Iacobus major*, & *Ioannes Evangelista*. Sed jam ad Historiæ narrationis ordinem revertamur.

## C A P. IV.

*De Tathæo misso ad Edessam, & de epistolis missis ab Abgaro Rege ad Christum, & à Christo ad Regem Abgarum.*

Sub hoc itaque tempore *Tathæus* à Domino mittitur ad *Abgarum*, Regem Edessenorum, qui eum ab ægitudine curat, & civitatem absolvit ab errore.

## H A Y M O.

Hujus rei prolixior in aliquo scripto reperi historiam, sed nescio si apocrypha est: Quæ quia de fidei pietate descendit, necessarium duxi eam huic operi inserere. Dicitur enim, quia de Salvatore nostro, adhuc in carne degente, cum de miraculis ejus felix ubique fama loqueretur, quod misit ad eum *Abgarus Rex Edessenorum* Epistolam, in qua magnis precibus rogabat eum, ut veniret ad se, & curaret eum à lepra. Dicit etiam quod ex multis annis cupierit eum videre, & ideo monet, ut veniat ad se, & se expediat de odio Iudæorum, & habitet secum, quia haberet civitatem, quæ sufficere posset utrisque. Dominus autem rescribit ad eum propria manu epistolam, in qua primum beatum illum asserit pro eo, quod credit in eum, quem non vider. Secundo



Secundo dicit, se per semetipsum modo non posse venire, quia in loco Hierosolymorum præceptum patris & obedientiam impleturus. Tertio promittit ei salutem in hæc verba: *Cum assumptus fuero, mittam tibi unum ex discipulis meis, qui te curabit ab infirmitate tua.*

## CAP. V.

*De facie Domini lineo panno impressa.*

**D**icitur etiam, quod pro desiderio præfati Regis implendo aliquatenus, Dominus faciem suam lineo panno impressit, & misit ad eum, ut qui in propria forma videri non poterat, saltem per impressam imaginem videretur. Tunc ergo *Tattheus* ille discipulus, qui missus est ad *Edeffam* prædictam, ibi dominicam deportare meruit imaginem, quæ per longa ibi tempora perduravit, donec Constantinopolim, cum cæteris reliquiis, est asportata.

## CAP. VI.

*Dispersio discipulorum Domini.*

**L**apidato itaque *Stephano* protomartyre, discipuli omnes, exceptis duodecim, disperguntur per universam Iudæam & Samariam; & aliqui eorum usque ad Phanicem, & Cyprum, & Antiochiam devenerunt. Ibi paucis prædicant Iudæis, non audentes se credere Iudæis vel gentibus, *Saulo* tunc temporis vastante ecclesiam,